



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607


Anima gratias agit Deo, illiq[ue] cor & voluntatem suam offert.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritus sancto,
Tribus honor vnus.

MEDITATIO.

*Qua anima gratias agit Deo, illiq; cor
& voluntatem suam
offert.*

 Sanctissima, & augu-
stissima Trinitas, v-
nus in tribus personis
Deus Pater, Fili, & Spi-
ritus sancte. Quam bonum est
ad tuam interminatam bonita-
tem & diuinam clementiam
confugere. Oculi namque tui
semper aperti, & aures tuæ sem-
per intentæ sunt, ad videndos &
audiendos illos, qui ad te in ne-
cessitatibus suis clamant. Pro-
posui tibi pericula & discrimi-
na ingentia in mari huius mun-
di mihi impendentia: explicui
etiam

*Psal. 33.
Eccles. 17.*

etiam necessitatem meam, qua
vehementer probo ac fideli du-
ce qui me tot vndique periculis
circumdatum sine vilo errore
ad salutis portum proueheret,
egerem: & tu me piorum seruo-
rum tuorum monitis & consi-
lio, ad gloriosam virginem Ma-
riam, mysticam huius maris
stellam, misisti: ac per eosdem
me adhortatus es, vt eam assi-
duis precibus sollicitarem, & ad
hoc sedulo eniterer quomodo
me dignam ipsius fauoribus &
auxilio reddam. Quo insigne
quoddam, ô Deus, tuæ dulcissi-
mæ circa me prouidentia indi-
cium dedisti. Ego vti ratio exi-
gebat, fidem dictis eorum adhi-
bui, atque ad splendidam hanc
stellam, virginem & Matrem
fœcundam accessi, deuotis pre-
cibus ei me commendavi, atque
nunc orationum mearum effe-
ctum

Etum sentio : quandoquidem graui illo timore , quo premebar liberatus, spem magnam accepi, me posse auxilio & gratia fidæ huius ducis ad desideratum salutis portum appellere.

Quid igitur, ô Domine, superest aliud, nisi vt tibi gratus sim & pro tam singulari hoc beneficio gratias immortales, ex tota cordis affectione, persoluam. Quapropter laus & gloria tibi sit, Pater æterne, cæli & terræ conditor. Laus tibi sit summe Christe: animarum Redemptor. Laus tibi, Spiritus sancte, animarum sanctificator. Hoc enim mihi tantummodo reliqui est, quod in omnium beneficiorum quæ de manu tua liberalissima suscepi compensationem, facere possim. Propheeta David dicebat: *Domine bonorum meorum non eges.* Idem ego

Psalm. 15.

mot

de

demeis dico. Quibus quoties-
cunque tibi vti placuerit, nihil
habeo quod cōtradīcam : nam
tua sunt & tibi multis nomini-
bus puta, creationis, redempti-
onis, & sanctificationis acquisi-
ta. Nihil itaque aliud quod ti-
bi offeram habeo, prāter lau-
des & gratiarum actionem. Ne-
que tamen inficias ire possum
me aliquando te dicentem au-
diuisse. *Fili prabe cor tuum mihi.* Ex
quo in eam cogitationem veni,
hoc esse quod pro cūctorum
beneficiorum repensione aut
pro mea dispositione à me po-
stules. Quod si ita est, ego tibi,
ô DEVS, cor meum, ex tota a-
nimi mei affectione, cum om-
nibus bonis inde pendentibus,
offero. Suscipe illud Domine
& cordi tuo coniunge: Non e-
nim alijs manibus vel dignio-
ribus vel rationibus illud con-
signare queo. Cor meum est

M

vo-

voluntas mea, quamdiu illa
per te gubernata & recta fuerit
nec errare, nec circumueniri
poterit. Illam tibi dedo: illam
tibi consecro, nec eam vlllo vn-
quam tempore repetere, aut il-
la tanquam mea, sed tanquam
quæ à volūtate tua pendeat, vt
cupio. Occide me potius Domi-
ne, quā vt me patiaris, huius san-
cti propositi mei aliquando ob-
liuisci. De tua enim inspirati-
one id concepi, tanquam fru-
ctum præcedentium meditati-
onum, considerationum & in-
structionum, fructum inquam
pretiosissimum & saluberrim-
um. Conserua illum DEVS,
& sicut tibi placuit B. Virginem
MARIAM mihi pro stella &
duce nauigationis meę, in pro-
celloso ac infido mari huius
mundi assignare: Sic etiam gra-
tiam mihi largire, quo illi tam
dignè ac sedulo inseruire, illa-
que

que honorare, ac venerari valeam, vt causam habeat, cur mei sollicitam curam agere, atque à naufragio spirituali tutari ac præseruare cupiat. Amen.

CONCLUSIO.

HActenus, Anima Christiana, summatim & velut in transcurso declaravi, eximias B. Virginis **MARIAE** stellæ tuæ prærogatiuas. Explicui præterea petitiones in hymno *Aue maris stella* comprehensas: & simul demonstraui pericula spiritualia maris illius quod nauigas: & eodem studio, propria media, quibus illa euitari possint, præscripsi. Si omnia legisti, & cum attentione, & desiderio ad portum salutis perueniendi, tecum expendisti fieri non potest, quin magnam inde vtilitatem & fru